

8.28.6

*Imp. Gordianus A. Rogato.*

Quamdiu non est integra pecunia creditor i numerata, etiamsi pro parte maiore eam consecutus sit, distrahendi rem obligatam non amittit facultatem.

*PP. XIII k. Sept. Pio et Pontiano consss.*

[a. 238]

8.28.7

*Idem A. Caro.*

Si cessante solutione creditor non reluctant lege contractus ea quae pignori sibi nexa erant distraxit, revocari venditionem iniquum est, cum, si quid in ea re fraudulenter fecerit, non emptor a te, sed creditor conveniendus sit.

*PP. k. Nov. Pio et Pontiano consss.*

[a. 238]

8.28.8

*Idem A. Maximo.*

Si prius, quam distraheretur, pignorata possessio, pecuniam creditor obtulisti, eoque non accipiente contestatione facta eam depositisti et hodieque in eadem causa permanet, pignoris distractio non valet, quod si prius, quam offerres, legem venditionis exercuit, quod iure subsistit revocari non debet.

*PP. III non. April. Gordiano A. et Aviola consss.*

[a. 239]

8.28.9

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Cyrillo.*

Quae specialiter vobis obligata sunt, debtoribus detractantibus solutionem bona fide debetis et sollemniter vendere: ita enim parebit, an ex pretio pignoris debito satisfieri potest, quod si quid deerit, non prohibemini etiam cetera bona iure conventionis consequi.

*PP. XIII k. Iun. Diocletiano III et Maximiano AA. consss.*

[a. 287]